



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

9. Somni ratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

IX. (i) De Somno facili, Siracides c. 31. *Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet usque manè, & anima illius delectabitur.* Nimirum sobrietas & temperantia breves ac jucundas faciunt dormientibus noctes. *Saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Ibid. Distentus enim dapibus & indigesto oneratus cibo venter, amaras cogitur vigilare noctes. Hinc præceptum est Scholæ Medicorum Salernitanæ.

Ex longâ cœnâ stomacho fit maxima pœna:

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Et Horatius.

----- corpus onustum

Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unâ,

Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Ad somni jucunditatem facit etiam labor & exercitium: nam

---- fessos facilis sopor irrigat artus.

Ecclesiastes c. 5. *Dulcis est somnus operanti.* Sed hîc cavenda nimia indulgentia. Monet Salomon Proverb. 19. *Pigredo immittit soporem: & anima dissoluta esuriet.* Nimiô somnô membra languescunt & enervantur. Deinde prolixior sopor non tantùm corpus, sed etiam ingenium, mentemque hebetat, & corrumpit. Mantuanus canit:

----- pigros rubigine sensus

Otia corrumpunt, sopitâque pectora torpor.

Addit Salomon loc. cit. *Et anima dissoluta esuriet.* Nam pigritia parit soporem, sopor otium & inertiam, inertia penuriam & famem.

X. (k) Fingitur Somnus *Erebo* (inferno fluvio & *Nocte* matre genitus, cuius frater sit *Lethum* seu *Mors*: Sorores *Lethe*, ac *Spes*. Apud Ælianum lib. 2. hist. c. 35. refert Pausanias, Olympiæ, urbe Theſſaliæ, visam à se statuam, Noctem, figura, habitûque muliebri: hæc puerum album dormientem dextra tenebat, læva nigrum dormienti similem. Horum priorem appellari *Somnum*, alterum *Lethum*, utrumque *Noctis* esse filium. Homerus Iliad. ζ.

Ενθ' ἵπνω ζύμβλητο κασιγνήτω θανάτῳ.

Occurrit somno, qui Mortis frater habetur. Et Maro lib. 6.

Tum consanguineus Lethi sopor.

Et Seneca:

Frater duræ languide fortis.

Accinit Ovidius:

Stulte, quid est Somnus. gelidæ nisi mortis imago?

Unde

(i) Somni ratio. (k) Somnus frater mortis.